



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Tractatus IV. De Legibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



TRACTATUS IV.

DE
LEGIBUS.

SECTIO I.

DE
NATURA, ET DIVISIONE LEGIS

CAPUT I.

Vulgata Legis exponitur notio,

Lex, Sancto Thoma definiente, *ordinatio rationis est ad bonum commune ab eo, qui civitatem communitatis habet, promulgata* (1. 2. quæst. 90. art. 4.) Definitio hæc quatuor præcipuas Legis condiciones continet. Nam *primò* Lex agendi regula est, ejusque actus præcipere, & prohibere; actus isti soli rationi comperunt, unde Lex *ordinatio rationis* sit oportet. *Secundo* cum Lex stabilis norma sit actuum humanorum, quorum finis beatitudo, & quidem communis, illam *ad bonum commune* ordinari, necessum est. Non igitur omnia, quæ Deus, aut Princeps præcipit, stabilem Legis naturam habent. Dum unigeniti immolationem Abrahamo Deus injunxit; præceptum, non legem dedit. Similiter, Rex dum cuidam ministro, Ducem, aut

aliis privatis personis privato ex fine aliqua exequenda committit, præcepisse, non vero Legem Tulisse censetur. Tertio quia bonum commune, quod Rex respicit, non a quolibet, sed ab habente vires, & potestatem promoveri potest, solummodo ab eo, qui *curam communitatis habet*, Lex est ferenda. Unde Leges, quæ universum hominum genus stringunt, a Deo; quæ certam nationem, vel provinciam concernunt, a Rege seu Principe sunt conditæ; imo in terris, ubi Democratia viget, legislativa potestas penes populum, vel selectos ab ipso optimates manet: unde Isidorus, *Lex est, inquit, constitutio populi, secundum quam majores natu simul cum plebibus aliquid sanxerunt* (Originum Lib. 5. c. 10.) Quarto Promulgata esse Lex debet; homines enim in subiecta materia non solum dirigit, sed & ita obligat; ut transgressores culpæ, aut saltem pænæ reos constituat; nec culpæ, nec pænæ locus, quousque obligationis cognitio deest; quæ quidem primum per Legis promulgationem acquiritur. Hinc illud apud Gratianum: *Leges instituuntur, cum promulgantur* (c. in illis. dist. 4.) Quia Leges, dudum forsitan late, respectu subditorum a tempore, quo debite sunt promulgatæ, primum esse, suamque vim exercere incipiunt. Promulgatio hæc quoad Legem naturalem interna rationis suggestionem; quoad Legem positivam externa præconis voce fieri solet.

Legis itaque finis Bonum commune est: effectus obligatio in subditis: actus præcipui præcipere,

cipere, prohibere, punire. Præmia iis, qui Leges observant Deus aut Princeps non qua Legislator, sed qua beneficus Pater largitur.

CAPUT II.

Multiplex Legum subieitur divisio.

Legis Divisio prima est in æternam, & temporalem. Hæc in naturalem, & positivam & ista rursus in divinam & humanam dispelitur. Divina in scriptam & non scriptam, veterem, & novam; humana in Ecclesiasticam, & civilem distinguitur; quibus adhuc aliæ in affirmativam & negativam; in pœnalem & mixtam in prohibentem, & irritantem; in favorabilem & odiosam; in provincialem, & municipalem in Localem, & personalem cum communi subdivisiones accedunt.

Lex æterna (inquit Sanctus Augustinus *lib. 22. cont. Faust. c. 27.*) *est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, & perturbari vetans.* Seu est ordinatio rationis divinæ, qua Deus ab æterno statuit quid creatura intellectualis conformiter ad suam naturam agere, quidve omittere debeat. Sicut Deus, ita & Lex hæc immutabilis est, semper in Deo manens. Notitia ejus, quæ homini, in tempore creaturae communicata fuit, *Lex temporalis* dicitur, quia una cum natura illi quasi indita, *Lex naturalis* vocari consuevit. Unde

Multiplex Legum subje. divisio. 297

Lex naturalis est participatio Legis æternæ in rationali creatura (S. Th. 1. 2. qu. 91. a. 2.) De hac loquitur Psalmista, dum canit: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Et Apostolus ait: *Gentes, quæ Legem non habent, (scilicet scriptam in libris) naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis* (Rom. 2.). Lex hæc quasi habitualiter spectata in ipso rationis lumine consistit; omnibusque per actuale quoddam dictamen intimatur, ac quodammodo promulgatur. Materia ejus res necessaria est; actiones nimirum, & omissiones, sine quibus humana societas salva persistere diu non potest. Obligatio illius eodem rigore stringit omnes (a); nec ullam admit-

(a) Caute distingendum inter Legem seu Jus naturæ permissivum & præceptivum. Hoc ita obligat ad unum, e. g. ad honorandum Deum, ut nunquam permittat oppositum, e. g. Dei inhonorationem: *Illud* econtra aliquid ita approbat ceu bonum, & justum, ut ejus oppositum velut injustum & malum non reprobet. Sic communitas bonorum, status conjugalis est Juri naturæ conformis, quin tamen bonorum divisio, & cœlibatus ei positive difformis sit. Commoda corporis nutritio, aut vestitio sic juri naturæ congruit, ut discreta carnis mortificatio, defectuum supportatio eidem non repugnet: vitæ, famæ, & bonorum fortunæ defensionem Jus naturæ tribuit; quin spontaneam (absque præjudicio tertii) jacturam, aut cessionem prohibeat. Porro licet ipsa naturæ immutabilis, & necessaria sit, possunt tamen mutari res ut sub Lege naturali non amplius comprehendantur. Sic Votum vinculo

admittit dispensationem. Præcepta ejus prima: *Bonum est faciendum: malum omittendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c.* Cuiusque intellectui, quantumvis rudi sunt pervia. Ex his alia facili deductione fluunt, eaque summarie Decalogo comprehensa citius, & distinctius Christianis, quam gentilibus innotescunt. Alia denique circa varios contractus, ac speciales obligationes subtiliore ratiocinio vix à Sapientibus deteguntur, proin nec mirum, si ea plebei, ac rudes ignorent, sed de his jam supra *Tract. 3. Sect. 2. c. 2.*

Lex positiva est ordinatio rationis, quam Legislator siye divinus, siye humanus ad majus communitatis emolumentum fecit. Differt a *Lex* naturali; quia *Lex* naturalis intrinsece bonum præcipit, & intrinsece mala prohibet; contra *Lex* positiva res de se indifferentes respiciat, solumque bonas quia præceptæ; & malas quia prohibitæ.

Lex positiva divina est, quam supremus Legislator Deus circa fidem, & cultum liberè hominibus dedit. Legis hujus Revelatio prima Adam.

culo naturali voventem ligat, quodsi tamen Deus per suum in terris Vicarium de jure succedat, promissionem remittat, jam ex parte voventis naturalis cessat obligatio; quia *Lex* naturalis eousque obligat ad servandum votum, quodque promissionis non sit facta relaxatio. Eodem modo de furto de homicidio servata proportio est ratiocinandum.

Multiplex Legum subjc. divisio. 299

Adamo facta, ejusque ad posteros per traditionem est transmissa, ac tandem per Moysen, Christi- que Discipulos in libris scripta, atque variis sta- tibus accomodata fuit (a). Unde communiter tres

(a) Divina Revelatio est *possibilis*; ex parte *rei re- velatæ*; licet enim hæc mysteriosa sua sublimitate intellectus nostri capacitatem transcendat, non tamen propterea repugnat, nisi multa naturæ phænomena, quæ captum nostrum excedunt, impossibilem acervo addere velimus: 2. ex parte *Dei revelantis*, utpote qui omnia, in se ipsis non impossibilia, potest: Est etiam *conveniens* 1. *Divinæ Majestati*, cujus utut infinite beatæ apud terribiles per revelationem magis manifestatur, & augetur gloria: 2. *homini*, qui Revelationis beneficio suam originem & finem, infirmitatis radicem, Dei cultum, placandique modum, ac ipsa Legis naturalis præcepta citius, certius, ac distinctius cognoscit. Est denique *actu facta* Revelatio. Id enim doctrinæ Sanctitas, mira unitas, ac propagatio contra omnes humanæ prudentiæ Leges peracta; Prophetiarum adimpletio, & miraculorum splendor, (qui olim in Mosaica, hodie in Religione Christiana notatur) clare demonstrant. Miracula præprimis ceu certissima divinæ Missionis, ac doctrinæ cœlestis sigilla omnes populorum nationes acceperunt. Communem autem persuasionem falsam esse non posse melioris notæ Philosophi contra scepticos tuentur. De Religione Revelata scripsere Illustr. Haetius lib. de *Demonst. Evang.* P. Vinc. Valschi Ord. Præd. egregio opere de *Fundamentis Christ. religionis, & Impietatis Fontibus* elucubrato, Romæ summa Laude, ac gratiarum actione excepto &c. quos nuperrime alii ex Societate Jesu sunt imitati.

tres Legis divinæ status, videlicet non scriptæ seu naturalis; scriptæ veteris, & scriptæ novæ Dogmatici distingunt, quos plura sciendi cupidus adeat; nos enim hic non dogmata, sed morum præcepta explicanda suscepimus.

Lex humana est, quæ a Legislatore humano libere est lata; ea, quam Princeps Ecclesiasticus in bonum spirituale animæ promulgat, Lex Ecclesiastica; quam Princeps sæcularis in bonum civium temporale; Lex civilis nuncupatur. De hac utraque plura Juristæ. Lex affirmativa actum præcipit; negativa aliquem prohibet actum (a). Pœnalis solum sub pœna; præceptiva vel mixta etiam sub culpa obligat: Prohibens actum, quem

(a) Notatu digna, quæ Legem affirmativam inter & negativam datur, differentia. *Lex affirmativa obligat semper, sed non pro semper, i. e. non continuo pro quovis temporis puncto, quia actus honestus, vel virtuosus, quem præcipit, a certis circumstantiis pendet, quæ non semper adstant. Lex e contra negativa obligat semper, & pro semper i. e. pro omni temporis parte, quia inhonestum, vel vitiosum, quod interdicit, quovis tempore vel loco honestum effici nequit; nisi forsitan ex fine, aliisque circumstantiis objectum actus adeo sit mutatum, ut sub Legis negativæ tenore Prudentum, ac timoratorum judicio non amplius comprehendatur. Sic honorare parentes, & eisque obedire semper tenemur, non tamen si quidquam inhonesti præcipiant: Rem alienam rapere semper, & pro semper prohibemur, quæ usque extrema necessitas ex re aliena cuique communem non efficit.*

prohibet, illicitum, adhuc tamen validum; *irritans* simul nullum, & invalidum reddit. Lex *favorabilis* favorem continet, similesque ad casus, licet non expressos, ex præsumpta Legislatoris intentione extenditur: *odiosa* ob gravamen, quod plerisque adfert, ad casus similes extendi nequit: *Provincialis* integram provinciam, aut Regnum; *municipalis* unam civitatem, vel Dynastiam stringit: *Localis* subditos solum intra proprium territorium afficit; *personalis* eosdem extra patriam ad quasvis terras comitatur.

SECTIO II.

DE LEGĒ HUMANA.

CAPUT I.

*Iusta humanæ Legis determinatur
materia.*

Principi tantum a peccatis mundo ordinariam Leges ferendi potestatem Wicleffus permisit. Nullus (inquiēbat) est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Hunc secutus est Joannes Hus contendens: Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus. Quam utramque propositionem Constantiense Concilium Sessione octava damnavit; & quidem iuste. Tributa Cæsari

fari utut ethnico Principi solvenda Christus
 dæis injunxit (Matth. 22.) & Divus Paulus Præ-
 cipibus etiam discipulis non solum propter iram
 sed & propter conscientiam obtemperandum edo-
 docuit (Rom. 13. Tit. 3.) Veri igitur Catho-
 ci in Regibus, Ecclesiæque Prælati (puta in Pa-
 pa, & Conciliis Generalibus respectu totius Ec-
 clesiæ, & Episcopis respectu suarum Diocesium)
 Legislativam potestatem agnoscunt, quam tam-
 æquis conditionibus circumscriptam esse voluit
 Conditions istas sanctus Isidorus recenset. *Leges*
autem (ait Lib. V. Originum Cap. 28.) Leges
honestæ, justæ, possibilis, secundum naturam,
secundum patricæ consuetudinem, loco, tempore,
conveniens, necessaria, utilis, manifesta, ne quæ
per obscuritatem in captione contineat, nullo
vato commodo, sed pro communi utilitate circum-
scripta. Et subdit, id solum aptam Leg-
materiam esse, quod ratione constat, quod Re-
gioni congruit, quod disciplinæ convenit, quod
saluti proficit. Hinc Concilium Toletanum VIII.
Can. 10. statuit ut Reges nulla vi, aut factio-
Scripturarum, vel definitionum qualiumcunque
contractus a subditis exigant, neque sint pro-
stantes proprii jura commodi, sed consulentes Pa-
triciæ, ac Genti. Et Sanctus Leo ad Leonem
Imperatorem scribens, Debes (inquit Epist. 75)
incunctanter advertere regiam potestatem tibi non
solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesi-
præsidium esse collatum, ut ausus nefarios com-
primendo & quæ bene sunt statuta defendas, &
veram pacem his, quæ sunt turbata, restituat.

Alia

Actiones itaque de se indifferentes, ex circumstantiis, quæ eis superveniunt, bonæ, & communitati utiles effectæ propria Legis humanæ materia sunt. Frumenta ad alienas ditiones transvehere quid indifferens, imo civili sæpius commercio utile est; at dum segetum inopia annonæ defectum, famisque plagam incolis minatur, fructuum retentio utilis, evectio nociva provinciæ evadit; unde hanc statuta Lege prohibere, illam præcipere Princeps potest.

Non raro, quæ jam Legè naturali erant præcepta vel prohibita, adhuc Legislatores humani stricta legè præcipiunt, aut prohibent; novam tamen obligationem non inducunt, sed antiquam, ex naturali Lege ortam noviter insnuant, gravesque contra transgressores pœnas decernunt; quæ, licet temporales, male moratos magis quam æternæ in officio continent; quia mala gravissima, quo remotiora apparent, eo minus improvidos terrent. Suspendium, rotas, enses, atque pro malefactoribus taxata mortis genera sublara finge, & nil nisi homicidiorum, rapinarum, injuriarumque Tragædiam in orbe conspicias.

Divinæ quoque Leges occasionem novas condendi Leges Ecclesiæ præbuerunt. Peccata, post baptismum commissa, ex Christi præcepto fideles confiteri tenentur, ac pœnitentia delere. Saluberrimo hoc remedio primus Christianorum fervor intra unius anni spatium sæpius utebatur; atque laici diebus Dominicis, & Festis inter
Missa-

Missarum solemnia sacram synaxim sumebant
 subnascens dein tepor utrumque neglexit. Ec-
 clesia eidem limites positura universalem de
 nua confessione, & communionem Legem promul-
 gavit, quæ proin secundum suam substantiam
 divina, secundum temporis determinationem Le-
 ecclesiastica atque adeo mixta est.

Possintne actus *mere interni*, id est cum ex-
 terno quodam actu non connexi Lege humana
 saltem ecclesiastica præcipi? multi dubitant. Qua-
 stio hæc parvæ admodum utilitatis est, nec mu-
 ta discussione eget. Mea quippe opinione de
 ejusmodi actibus Legem ferre ad unicum, quæ
 corda & renes scrutatur, Deum spectat. U-
 quid enim homo Legem ferat; cujus adimple-
 tionem urgere, cujusve transgressionem scire
 & punire perpetuo nequeat? Sic autem circa
 actus, de quibus loquimur, res se habet; hi igi-
 tur nunquam congrua Legis humanæ materia
 erunt.

Actus proin mere internos Deo relinque-
 mus. Ecclesiasticæ jurisdictioni sufficit actus
 Virtutum externos præcipere, qui vel ex sua na-
 tura, vel naturali, vel divina Lege cum quibus-
 dam internis nexum habent. Unde quantumvis
 Ecclesia per se non possit præcipere dolorem in-
 ternum, potest tamen præcipere dolorosam con-
 fessionem; quia sacramentali confessioni, quam
 præcipit, internus dolor ex divina institutione
 est annexus. Item potest attentam Breviarum re-
 citationem exigere; quia vera orationis natura
 sit.

sine omni interna mentis attentione aliunde non subsistit. Simile iudicium ferendum est de casu, quo homines religiosi ad actus Meditationis, Recollectionis &c. mere internos libera, ac solemnī professione se ultro obstringunt (a).

CAPUT II.

Vera humanæ legis ostenditur obligatio.

Legibus humanis in foro solum externo, non interno subditos ligari, nostri temporis hæretici docent. Quibus Tridentinum Concilium (Sess. 7 cap. 8.) anathema dixit. Christi Domini, & Apostolorum doctrinam, quam præcedenti capite adduximus, sacra Synodus vindicavit,

(a) Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini* omnes ad assensum *internum* obligatos declarat, obligatione videlicet, quæ, postquam Ecclesia est locuta, ex lege non jam humana, sed divina fluit. Idem Pontifex ecclesiasticis pœnis eos subicit, qui *aliter senserint, prædicaverint, docuerint*, nempe in complexo, ita, ut suam exterius manifestarint errorem. Denique Innocentius XI. istam Michaelis Molinos damnavit propositionem: *Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia Dei, animam quoad interna gubernari debere per Episcopos, quia Ecclesia non iudicat de occultis*; non quia potestatem circa *mere interna* Molinos Ecclesiæ abjudicavit; sed quia *omnia interna*, cum externis utcumque connexa Ecclesiæ gubernio, & jurisdictioni subtrahenda esse voluit. Id quod nec Auctor, nec ullus hujusce sententiæ Patronus tuetur.

Gedens Theol. Mor. Pars I.

U

cavit, utpote qui obedientiam & subjectionem non mere ut pœnam evitent, sed ne conscientiam lædant, Christianis inculcarunt. Legislativam potestatem Princeps cum ecclesiasticus, tum politicus a Deo habet. *Non enim est potestas nisi a Deo* (inquit Apostolus Rom. 13.). *Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem accipiunt.* Quomodo autem damnationem sibi acquirerent; si libera legum transgressio culpa vacaret? Filius, qui paternis præceptis non obedit, contra sanam rationem peccat, & conscientiam conspurcat; & subditos, legum humanarum transgressores, ob omni immunes non pronunciemus (a)?

Orthodoxis itaque in principiis justas Principum leges nœdum acceptare (b); sed & jure easdem agere populus sub peccato tenetur. *Sicut lex justa a Prudentibus, non a plebeis est discernenda; hi enim quamvis legem, quam sibi cons*

(a) Innocentius XI. hanc num. 52. damnavit propositionem: *Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus.* Alexander VII. hanc num. 25. proscripsit: *Præceptum jejunium Ecclesie, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta; quia non vult se subjicere præcepto.* Si autem pro foro interno humana legem non obligaret, secluso scandalo, & contemptu seposito nemo umquam contra eam peccaret.

(b) Huc spectat Propositio ab Alexandro VII. confirmata: *Populus non peccat, etiamsi absque justâ causa non recipiat legem a Principe promulgatam.* Est inter damnatas 28va.

rosam credunt, veluti injustam traducunt, ac diris devoent. Quodsi discretivum Sapientum iudicium desit, iustitiæ præsumptio pro Principe stabit, ejusque legi obtemperandum erit.

Nec tamen eadem & æqualis legum, quas homo condit, censenda est obligatio. Legis materia, ac Legislatoris intentio rite pensandæ sunt. Si materia sit gravis, simulque Princeps, quantum potest, obligare intendat, lex ab eo una gravem obligationem parit. Materiam gravitatis ex re præcepta vel prohibita, non nuda sumpta, sed ad finem proximum, aliasque circumstantias comparata cognoscitur. Legislatoris vero intentio ex rigore verborum, ex gravi adjecta pœna; & in dubio ex consuetudine, ac iudicio Prudentum innotescit. Sic excubias relinquere de se quid leve; attamen ex fine Ducis prohibentis, & funestis sequelis delictum grave est, supremo mortis supplicio obnoxium. Quodsi materia levis sit, vel gravis quidem; sed ad eam sub levi culpa, aut sola pœna obligare Superior intendat, levis culpæ, aut solius pœnæ reus evadit, qui secluso contemptu eiusmodi legem transilit; prout in variis religiosorum Ordinum Statutis patet.

Sunt leges, quæ in præsumptione fundantur. Præsumptio hæc vel de aliquo facto, vel facti periculo esse potest. Lex facti præsumptioni innixa non obligat, si factum numquam extitit; quia tunc tota legis ratio cessat. Econtra lex, quæ in præsumptione periculi fundatur, semper obligat; quia periculum, ceu legis fundamentum,

tum, communiter adesse solet, utut hic & nunquam
 respectu alicujus privati per accidens abesse
 Hinc mulier, occulto impedimento laborans
 viro, cui legitime conjuncta præsumitur, con-
 bitare jussa, Judici parere nec debet, nec po-
 test; quia Judicis decisio in falsa facti, videlicet
 cet legitimi matrimonii, præsumptione fundetur.
 Econtra a lege primi mariti soluta cum
 alio, liberrime consentiente &c. contrahere
 clandestine nequit; quia lex, quæ clandestina
 matrimonia vetat non propter absurda actu se-
 cuta, fuit lata; sed propter eorum periculum,
 quod ab hisce matrimoniis vix umquam, aut
 non nisi per accidens abest.

Lex humana cum certo fortunæ, famæ, et
 vitæ periculo, alioque gravi incommodo non ob-
 ligat. David dira fame excruciatum Propositionem
 nis panes, laicis interdictos, comedit, suisque
 distribuit. Machabæi necessitate compulsi Sab-
 bato pugnarunt, quin veluti legis transgressores
 increpati fuerint, aut puniti. Si legis divinæ
 obligatio ex Legislatoris voluntate ad casus ar-
 duos se non extendit, id multo minus de lege
 humana est asserendum. Quodsi tamen humanæ
 legis transgressio in Dei, aut Superioris contem-
 ptum; ecclesiasticæ, aut regię potestatis despe-
 ctum cederet, potius mors, vel aliud grave
 malum foret sustinendum, quam violanda lex;
 quia publica legislatorum Auctoritas cujuscum-
 que privati hominis vitæ præponderat. Idem
 dicendum, si ex legis humanæ transgressione
 Ecclesiæ vel Patriæ ingens damnum immineret.
 Potius

Potius itaque mortem pati miles tenetur, quam irruente hoste stationem relinquere; potius famæ, vel bonorum jacturam subire, quam in Ecclesiæ contemptum diem Festum profanare (a).

Sed quid; si quis non possit legi satisfacere ex toto, possit autem ex parte? Juxta communem tenetur ad partem, si hæc notabilis, rei que præceptæ divisibilis materia sit. Unde qui non potest abstinere a carnibus, adhuc abstinere a secunda refectioe tenetur. Qui non valet recitare totum Breviarium, valet autem horas minores, easdem dicere tenetur, quia impotentia ceu causa excusans ultra se non extendit. Recentioribus Casuistis hæc sententia non arridet; eoquod major pars ad se minorem trahat, suumque principale accessorium sequatur. Axiomata ista non reptobamus; ea tamen
de

(a) Eadem lex, quæ ad actum quemdam obligat, ad removenda quoque obstacula, actum illum impediencia, subditos obstringit. Duplicis generis impedimenta dantur. Quædam in se mala sunt: alia in se indifferentia, vel omnino honesta. Illa semper sunt vitanda; non item hæc, si eorum amotio magnum damnum homini privato causaret. Hinc tempore, quo audiendæ Missæ præceptum urget, ab inebriante potu est abstinendum; potest tamen commercii causa in profesto, & festo die per hæreticorum terras, ubi nec abstinentiæ, nec Missæ præceptis satisfiet, iter institui; quia leges humanæ sicut ad ipsum actum ponendum, ita & ad actus impedimenta cum gravi damno removenda ex præsumpta Legislatorum voluntate non obligant.

de partibus necessario connexis, vel minimis
quæ Prætor non curat, accipienda esse affirmamus (a).

CAPUT III.

*Genuinus leges adimplendi præscribitur
modus.*

Modus, quo leges humanæ sunt adimplende
ille ipse est, qui actum humanum efficit.
Quisquis actum præceptum cum cognitione
& voluntarierate ponit, legi satisfacit; licet ex-
pressam satisfaciendi intentionem non habeat.
Unde si quis, de præcepto Ecclesiæ nihil cogi-
tans, attentus Missæ interesset, suæ obligationi
satisfaceret. Imo si post Sacrum, cui peculiaris
devotione adstitit, de die festo admoneretur,
aliud audire non teneretur; quia priore devoti-
onæ præsentia ecclesiasticæ legi factum est satis. Sed
quid; si actu illo satisfacere quis nollet? Juste
multos satisfaceret. Si tamen neque per hunc
quem rite ponit, neque per alium quemcumque
que actum adimplere legem veller, hac refrac-
taria voluntate non tam in legem humanam,
quam naturalem & divinam, quæ legum con-
temptum prohibet, graviter delinqueret. Alii
fat multi, & docti contrarium tenent, utque
huma-

(a) Contrarium tamquam nimis laxum, & falsum
Innocentius XI. damnavit, dum 2da Martii Anno
1679. hanc numero 54tam confixit proposi-
tionem: *Qui non potest recitare Matutinum, &
Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tra-
netur; quia major pars trahit ad se minorem.*

humanae legi satisfiat, intentionem saltem interpretativam (qualis in casu non adest) requiri docent. Hisce & nos (præterquam si de scrupulorum intentione sit sermo) libenter subscribimus. Si enim qui alteri aureum debet, postquam intentione liberali, ac titulo donationis aureum tradidit, adhuc alium titulo debiti exolvere tenetur; potiore jure ab eo, qui contraria intentione actum præceptum ponit, de quo alius exigi actus potest (a).

Nec

(a) Hanc quæstionem vanis, ac frivolis P. Concina adnumerat, eamque extra Casum scrupulorum verbis ludere &c. existimat. Nam (inquit Tom. 6. lib. 1. Diss. 5. de leg. hum. cap. 9. num. VI.) quis ratione utens præfatos hos duos actus eliciet? Quis tam stultus, ut velit peccatum committere, dum actum virtutis exercet? Nam qui constituit, se nolle hac auditione Missæ, hac recitatione Officii implere præceptum, vel deliberat aliam audire Missam, aliud recitare Officium; vel definit, se reapse nolle toto illo die adimplere præceptum, licet deliberate rem præceptam ponat. Ego in primo casu non modo permitterem, & obligatum declararem (nisi aliqua obfaret scrupuli circumstantia) ad audiendum aliud Sacrum, aliudque recitandum Officium; sed in pœnam sui otiosi actus tertiam Missam audiendam, tertium Officium recitandum (ut ita dicam) imponerem. In secundo casu hominem rejicerem ut dementem, tamquam qui vellet peccare, ut peccaret. Nam rem præceptam attente, & diligenter exequitur urgente præcepto; & præceptum implere recusat? Delirium hoc mihi apparet. Sed, inquis, si re ipsa similis reperiretur stultus; quid sententiæ

Nec tamen, ut humanæ legis adimpletio virtutis motivo, aut caritatis habitu fiat, necessarium est. Motivum siquidem virtutis in intellectu & voluntatis actu consistit: qui soli Deo reservatur, uti jam supra ostendimus. Nihilominus qui secluso virtutis motivo, omnique interna mentis attentione neglecta leges adimplere præprimis Ecclesiasticas solent, in legem naturalem vel divinam, quæ sancta sanctè ac digne peragi jubet, ut plerumque impingunt. Quamobrem explodenda est, ac detestanda Cameruelis opinio, qui docet, attentionem in divini Officii recitatione non esse de præcepto. Addit autem de se ipso loquens: *Et nihilominus nullo crucior scrupulo, nullo dubio angor, quam prudenter suppono, me ad actionem internam non teneri. Ego me ne venialiter quidem peccaturum in hac materia certo scio, & ita certo, ut possim jurare (num. 442.).* Si sic orando Deus non illudatur, quoniam umquam modo illudetur? Absolunde proponendo confutatur satis tam absurda opinio.

Ut legi pœnali, qua pœnali, fiat satis, ante Judicis sententiam pœnam in se ipso exequi nemo ullus tenetur, si pœnæ executio actum quemdam positivum exigat; quia hujusmodi actu pœnali quis semetipsum infamaret, quod plerumque sanæ rationi adversatur. Attamen pœna mere *privativa*, nimirum inhabilitas a

Jure

ferres in ipsum? Ad aliam audiendam Missam, ad aliud recitandum Officium obligarem, ut peccati pœnam lueret. Ita Ille.

Jure in transgressores statuta, quæ actus cujusdam omissionem e. g. *fructuum non fruitionem* præcipit, ante Judicis decisionem subiri debet; quia ultimatæ legum clausulæ: *Ipsa facto: Ipsa jure* &c. id clare significant. Profecto si Judex privata pænæ executionem mandandi potestate pollet; cur simili potestate Jus commune careat, jam non apparet. Hinc si quis legem violat, cujus transgressioni mutilatio, aut honorum publicatio est adnexa, antequam condemnetur, a subeunda pænâ liber manet: Econtra si Canonicus non profitetur, non residet &c. fructuum emolumento, priusquam Judex pronunciet, ipso facto privatur.

Possintne actu unico plura præcepta adimpleri, ex legis tenore, ac Legislatoris fine speciali est desumendum. Nisi probata ex consuetudine ac Timoratorum sensu pro unico actu interpretatio fieri in dubio possit, per plures distinctos actus distinctis præceptis occurrendum erit. Sic per unicum jejunium præcepto quadragesimali, quatuor temporum, & Vigiliæ satisfacimus; non item per unicum Missæ auditionem Ecclesiæ, & Confessarii præcepto. Similiter uno, eodemque tempore per plures actus pluribus diversis præceptis satisfieri potest, si actus unus compatitur alterum, & utriusque simul salva stet conditio. Unde sub Missa præcepta Breviarium recitare (a), non item confessionem paschalem lon-

(a) Vix ego consulerem absque peculiari necessitate, ut quis eodem tempore & Missam die festo audiret, &

longiorem peragere licet; quia debita ad utrumque actum attentio in primo, non secundo casu salvatur.

Plures nonnumquam leges concurrunt, quae simul observari non possunt: cedere igitur legi inferiori, prevalere superior debet. Si leges invicem comparentur, lex naturalis positiva divina humanae, negativa affirmativa erit praefata ferenda. Unde servitium aegroto impendendum Missae auditioni est praehabendum; potius fidei praecipio, quam Principis mandato obtemperandum. Quodsi plures leges *eiusdem ordinis* puta plures naturales, plures divinae, vel affirmativae &c. concurrant, illa, quae ad nobiliorem virtutem tendit, quaeve magis saluti necessaria videtur, praeter altera est adimplenda. Secus quod facit, divinae Sapientiae ordinem invertit, nisi invincibili ignorantia excusetur, graviter peccat (a). Hinc Parochus, qui ad suam vitam conservandam, & ad ovium suarum salutem promovendam lege naturali stringitur, postea tempore oviscularum curam vitae suae securitate

Et horas canonicas persolveret. Contrariam sententiam, utpote communem, non improbo. tam severa aconomia qui tributa Deo debita solvunt, nescio, quo animo divitias Misericordiae divinae copiosas sperare valeant. P. Concina Tom. VI. lib. I. Diff. 5. cap. 10. num. III.

(a) Regulas utiles in legum concursu observandas tradit D. Amort in sua Theologia Morali Tom. I. Tract. 2. de legibus. §. 9. Q. 13.

preponere debet, & Parochianus in rebus ecclesiasticis Pastori magis, quam loci Præfecto obedire tenerur (a).

CAPUT IV.

Legum humanarum Subjectum proponitur.

Omnes rationis usum habentes naturæ legibus subijci, nullus nisi atheus negat. Divinis quo-

(a) Ut lex humana actu obliget, sufficiens ejusdem promulgatio præcedat, necessum est. Sine leges pontificiæ solam Romæ, anve in singulis, in quibus obligent, Provinciis promulgandæ? Scholastici disceptant. Communior, ac verior Sententia legum, quæ Jus novum constituunt, promulgationem in singulis Diocæsesibus faciendam esse propugnat. Id enim clare in Jure civili (Novell. 66.) pro legibus imperatoris statuitur, eademque prorsus ratio de legibus papalibus tenet. Absque hac enim promulgatione nec *authentica*, nec *uniformis* legum notitia ad subditos perveniret, sicque amplius consultationi, aliisque absurdis ad Christianam Rempublicam pateret aditus; quem tamen ut perpetuo præcluderet, Christus suos Apostolos, aliosque Evangelii Præcones universum in mundum misit. Apostoli Decreta, Ierosolymis concepta, ad eos, qui Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ erant per Judam & Sylam direxerunt. Zephirinus Papa suum de Mæchis pœnitentibus ad pacem recipiendis Decretum in omnes Christiani Orbis partes distrahi voluit. Eundem morem Innocentius III. circa Canonem *Omnis utriusque sexus* de Communionem paschali, & Pius IV. circa Sacri Tridentini Concilii Decreta observarunt. Sed de his latius Canonistæ.

quoque legibus positivis singulos, quibus hæc in
notuerunt, quique juxta ætatem earum capaces
sunt, stricte obligari contra Sectarios Catholicos
docent. Unde legis dumtaxat humanæ ambitum
metiri, ac subditos videre præsentis capite con-
bimur.

Pueri rationis usum adepti iis legibus, quæ
eorum conditioni, ac ætati sunt accomodate
subjiciuntur. Hinc septennis puer confitemur
non communicare: a carnibus, non a secundæ
refectione abstinere tenetur; quia priori obliga-
tioni explendæ tenuior ætas sufficit, pro poste-
riore ætas maturior, fortiorque corporis habitus
requiritur (a).

Adulti, qui ratione utuntur, Superioris ec-
clesiastici æque, ac politici legibus subduntur,
ita, ut absoluta solummodo amentia, aut invo-
luntaria ebrietas transgressionem excuset. Pec-
cant proin, qui deliberata ebrietate impediri
prævisam obligationem non exsolvent; neque
culpa illi vacant, qui ob specialem stupiditatem
amentibus vulgo æquiparati Ecclesiæ præcepta
scire, & adimplere negligunt; cum tamen ad
varias

(a) Infantes ante rationis usum legibus in actu
primo solum subduntur; adeoque actu contra eas
peccare non possunt. Nihilominus eos ad iram,
libidinem, aut blasphemiam excitare non licet;
quia actus, utut materialiter solum malos, studiose
procurare, inhonestum est; talis enim excitans
ad actus intrinsece malos hisce passionibus, aut
etiam amentibus, veluti instrumentis utitur, &
quod deterius est, ad tales eos assuefacit, quod
certo iniquum est.

varias nugas addiscendas impigri, fatisque capaces sint. Horum socordiam confundere Parochus debet, nec prius acquiescere, donec nobiliora christiani hominis officia suam juxta capacitatem didicerint.

Hæretici quoque postquam per januam Baptismi quodammodo Ecclesiam sunt ingressi communibus ejusdem legibus subjacent. Opposita ratio de infidelibus, & catechumenis tenet. Unde Calvinianus homo, qui die venito carnes comedit (nisi forte materialis hæreticus sit), contra ecclesiasticam legem peccat; Judæus, qui eadem agit, a tali peccato immunis manet.

Utrum viatores, vagi, & peregrini (a) particularibus locorum, per quos transeunt, vel ubi morantur, legibus teneantur, non eadem omnium est sententia. Nos affirmativam amplectimur. Viatores enim & peregrini, e loco proprio egressi a patriis legibus toto, quo absumt, tempore liberantur, unde quo minus localiter

(a) *Vagus* dicitur, qui nullibi domicilium fixum habet: *Viator*, qui extra territorium ubi domicilium habet, per aliquem locum transit. *Peregrinus* qui extra suum domicilium alicubi moratur cum animo redeundi. *Advena* qui extra suam patriam domicilium fixit. Non de hoc, sed de illis in textu sermo est. Porro *domicilium* ille figit, qui perpetuo in aliquo loco persistendi animum gerit: *Quasi domicilium* erigit, qui per majorem anni partem in quodam loco commorandi intentionem habet. De his plura Jurisconsulti.

calibus statutis subiecti fiant, nihil obstat (a). Si solus e patria egressus eos quoad tempus municipali lege absoluit; ut quid solus in alienum territorium ingressus pro tempore subsistentem legum, quæ ibi vigent, obligationem non adiret? Viator privilegiis, ac commodis localibus fruatur; qui autem commodum sentit, etiam onus sentiat, oportet. Legislatores locales ut formem suarum legum observantiam intendunt, scandala, ac turbationes, quantum possunt, suis arcere subditis cupiunt. Ast id nunquam efficient, nisi vagos & viatores pro notabili tempore, quo sua in ditione morantur, suis legibus subiectos reddant. Hæc in vagos &c. potestatem ceu appendix illius, quam in proprios subditos habent, ipsis a Deo concessa videntur; quia sine illa sæpe languesceret. *Cum Romam venisset* (scribit sanctus Ambrosius apud S. Augustinum *Epist. 118.*) *jejuno sabbato: cum hic sum non jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non esse scandalo, nec quemquam tibi.* Et sanctus Augustinus: Quisquis eis (rebus) utitur, ut ritus consuetudinis bonorum, inter quos versatur excedat, flagitiosus est (*lib. 3. de Doctr. Christi cap. 12.*). Quare, qui in loco, ubi Festum, vel jejunium de præcepto incidit, toto mane convalescat.

(a) Rationabilis solum ac sincera absentia a legibus patriis eximit, ea nempe, quæ commercii, vel negotii causa contingit. Unde qui unice ut festum locale vel jejunium evitet, patriam patriam sper desereret, legibus subiectus maneret; quod fraus & dolus patrocinari iniquis non debet.

farur, Missam audire, in prandio a carnibus abstinere tenetur, quia talis mora Prudentum iudicio legis observantiæ proportionata est, atque sufficiens.

Legibus civilibus, quæ communem ac tranquillam gubernationem concernunt, etiam Clerici parere tenentur. Huc illa collimant, quæ sanctus Paulus suo Tito suggessit: *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicitur obedire (cap. 3.).* Et illud divi Petri: *Subiecti estote Regi quasi præcellenti, & Ducibus tanquam ab eo missis (Epi. 1. cap. 1.).* Et Christus ipse, quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddenda esse respondit. Unde eadem rerum præterea, easdemque contractuum formas, quas cives alii observant, etiam clerici observare obligantur. Quia eorum circa hæc exemptio magnam deordinationum farraginem induceret. Clerici muneris sublimitate Laicos præcedunt: unde ut virtutis ac obedientiæ exemplo iisdem præluceant, dignum & justum est. Porro Ecclesiasticos a quibusdam civium oneribus, puta a communibus gabelis, & tributis &c. sacri Canones excipiunt. Canones autem isti nædum Episcoporum suffragio, sed & Principum annutu sunt firmati, suumque in æquitate naturali fundamentum habent. Profecto si Principum Ministri, quia Reipublicæ se totos impendunt, a communibus oneribus eximuntur; simile privilegium Viris ecclesiasticis, qui pro omnium animabus laborant, non nisi inepte a quibusdam abjudicatur.

Sed

Sed quid? Ipsine Legislatores legibus a se vel prædecessore latis stringuntur? Eos saltem directive stringi cum sancto Thoma Theologo docent. Principis enim transgressio apud subditos scandalum causat, eosque sæpe ad damnabilem legis contemptum provocat; quem sicut et officio impedire, ita & legibus suis morem gerere Superior tenetur. *Princeps* (inquit sanctus Thomas 1. 2. *Quæst.* 96. *art.* 5. *ad 3.*) dicitur esse solutus a lege, quantum ad vim coactivam legis, nullus enim proprie cogitur a se ipso; *lex* autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate. Sic igitur Princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Sed quantum ad vim directive Princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur (*extra de Constitut. cap. cum omnes*): Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet. Et *Sapientis* dicitur auctoritas (*Caton. in Rudiment.*): Patere legem quam ipse tuleris. Improperatur etiam his a Domino, qui dicunt, *Et non faciunt, Et qui aliis onera gravia imponunt, Et ipsi nec digito volunt ea movere (Matth. 23.)*. Quodsi tamen quædam leges sua ex materia populi solum conditioni, non Principis dignitati congruant, legum conditor nec secundum vim directive istis obstringetur.



SECTIO III.

DE

MODIS, QUIBUS HUMANA RE-
STRINGITUR VEL TOLLITUR
LEX.

CAPUT I.

*Lex obscura a quo, & quomodo sit inter-
pretanda?*

Legis verba obscura sæpe sunt, quæ proin-
simplici, ac prout vocant, *verbali* interpre-
tatione sunt explananda: nonnumquam verba
clara quidem sunt, ne tamen in sensu rigoroso,
ac universali hic & nunc accipiantur, de benigna
legislatoris intentione præsumitur. Hic le-
gis interpretandi modus *Epyikia* dicitur, ac
communiter a legistis describitur, quod sit æqua
interpretatio mentis, quam legislator actu qui-
dem non habuit; habuisset tamen si præsentis
circumstantias prævidisset.

Interpretatio legum *authentica* præprimis ad
illum, qui eas tulit, vel ejus successorem spe-
ctat, eandemque ac ipsa lex in judiciis vim
habet. Dum legislator tacet, consuetudo,
tamquam optima legum interpret, est attenden-
da. Interpretatio a consuetudine petita *usualis*
occupatur. Quæ consuetudo legum interpre-
tationi serviat, postea dicemus. Non raro, cum
Godau Theol. Mor. Pars I. X nec

nec legislator, nec consuetudo quidquam determinat, docti ac prudentes viri interpretatione legum doctrinalem suppetitant, quæ eos, a quibus illi consulti fuere, pro foro saltem intersecuros reddit.

Regulæ, quas legum interpretes respiciere debent, in utriusque Juris codicibus invenitur. Potiores huc pertinentes sunt. 1. Ut legum verba in sensu obvio & proprio eousque accipiantur, quousque hic absurdas sequelas non procreent. 2. Ut leges odiosæ, ac pœnales quantum fieri potest, restringantur: favorabiles extendantur. 3. Ut lex instituta paritate aliam facti species non extendatur, nisi objecta correlativa sint, aut connexa, & legis ratio exacte utrisque congruat. 4. Ut lex obscura cum aliis propinquis, & clarioribus conferatur, atque una exponatur per aliam. Sic circa matrimonii contractum, & usum quæ mulieri conceduntur, etiam viro concessa reputantur, quæ marito prohibentur, etiam prohibita utantur.

Epjikia non temere est facienda, sed ratio ac sobrius ejusdem usus sit oportet. Si in verbis legis generalibus etiam hæc, quæ modo proponenda esset, actio comprehendatur, ex legis tamen adimpletione quidquam aperte injustum ipsi operanti, aut toti communitati nocivum consecuturum certo prævideatur, Epjikia est adhibenda, atque concludendum, quod legislator si hæc circumstantias prævidisset, hujusmodi casum excipere rationabiliter debuisset. Quod

damnum, aut iniustitia ex legis observantia emer-
sura non certo, sed mere probabiliter timeatur,
vel Legislator, vel Prudentes erunt consulendi;
aut si moram rei negotium non admittat, exor-
tumque semel dubium majore probabilitate elidi
non possit, ommissa Epjikia sensui legis litterali
erit insistendum; quia ut supra diximus, in du-
bio pro lege standum, ac tutius eligendum est.
Porro damnum, ad quod a nobis, vel a com-
munitate avertendum Epjikia utimur, grave
esse debet, si enim quodvis leve sufficeret, le-
gislatorum auctoritas, & legum utilitas brevi
collabesceret; cum paucæ admodum leges sint,
quarum observantia privatis quibusdam leve in-
commodum, aut damnum non creat. Unde
iniquitas sibi mentitur, dum tenui ratione fulta
identidem suis adclamat: *Leges humanæ cum
tanto rigore non obligant: Ecclesia pia mater,
non noverca est &c.* Ita sane! Ecclesia noverca
non est; adhuc tamen vera legislatrix est. (a)

CAPUT

(a) Epjikia idem ac æquitas, seu æqua acceptio
sonat. Est autem æquitas justitia pensatis omnibus
circumstantiis particularibus dulcore misericordiæ
temperata, ait S. Antoninus 4. Part. tit. 5. c. 19.
Pulchrum ac utilem regularum quæ hanc æqui-
tatem dirigunt, catalogum ex jure canonico,
jure civili, & libris Ciceronianis Paulus Co-
mitolus compilavit, quem P. Concina in sua
Theologia christiana Tom. 6. Lib. 1. Diss. 6. cap.
4. tribus in paragraphis refert; Similem D.
Amort. Theol. mor. Tom. 1. Tract. 2. §. 8. exhi-
bet. Vide si lubet.

CAPUT II.

Dispensatio a quibus, & quam ob causam sit. facienda?

Dispensatio juris seu legis relaxatio est et
 justa causa facta ab eo, qui legitimam potestatem habet. Latius accepta cum interpretatione & Epjikia coincidit; eamque divus Thomas nonnumquam ita exponit; strictius tamen sumpta, prout in data definitione sumitur, actus jurisdictionis est, qui solis Superioribus competit, sicque altiore quam Epjikia doctrinali originem petit. Magis adhuc ab irritatione, abrogatione, & derogatione differt; quia per istas lex quoad se totam vel partem tollitur, omnesque liberi ab obligatione fiunt: cum contra dispensatio legem intactam relinquit, errorumque manente obligatione unum vel alterum dumtaxat solutum ab onere efficiat; quod quia jam expressis verbis, jam signis aut factis, jam quoad totalem jam quoad partialem legem materiam contingit, *expressa* vel *tacita*, *totalis* vel *partialis* dispensatio esse potest.

Præcipua in lege humana dispensandi potestas (legem enim divinam nullus hominum naturalem proprie relaxare nec Deus ipse potest) in superiore residet non tamen ita, ut sive ab homine, sive a canone aliis delegari non possit. Facultas dispensandi, quam Jura cuidam officio in perpetuum adnexuere, *ordinaria* æquivalet; ea contra quam homo certe cuidam personæ concessit, *mere delegata* est, et
 liber

libero concedentis arbitrio revocari potest, deficiente cum vita delegantis, nisi forte jam inchoata dispensationis executio sit, aut in gratiam delegati specialem a Superiore facta fuerit delegatio; quia concessum a Principe beneficium decet esse mansurum (cap. si cui. de præbendis in 6.) Hinc Papa in universa Ecclesia leges universales, Episcopus sua in Diœcesi leges particulares relaxare valet. Imo ut in omnibus irregularitatibus occultis, exceptis iis, quæ ex homicidio voluntario contractæ, aut quæ ad forum contentiosum deductæ fuerunt, imposterum Episcopi dispensent, in Tridentino Concilio fuit sancitum. In aliis quoque, quæ nimis frequenter occurrunt, quæque moram non ferunt, qualia sunt jejunia, festa, impedimenta occulta &c. vel ex consuetudine, vel tacito Papæ consensu Episcopi ultramontani dispensant, sicut jam olim dispensarunt, priusquam pontificiæ invaluerant reservationes.

Dispensatio a certa forma non pendet. *Expressa* verbis plerumque in charta descriptis expeditur; quæ, quia exemptionem a lege, juridice odiosam, continent, strictè interpretari, nec ultra extendi debent: dispensatio *tacita* facta, aut alio signo fieri solet, ex quo actualis dispensandi voluntas in Superiore cognosci clare possit. Non igitur sola Superioris taciturnitas sufficit. Sæpius, dum Præpositus tacet, majoris incommodi vitandi causa connivere, aut permittere; nullatenus vero dispensare intendit. Id clare experientia docet, Jurisque in corpore confirmatur, ubi dicitur: *Cum multa per patientiam*

*tiam tolerantur, quæ, si deducta fuerint in ius-
cium, exigente iustitia non debent tolerari (cap.
cum jam dudum. de præbend.) (a)*

Ut dispensatio *licita* fiat, rationabili cause
innixa sit oportet. Rationabilis causa aderit, si
pietas, utilitas, aut necessitas ad dispensandum
moveat. Sic, ut cum debilibus, cum nimis fragi-
libus &c. quoad abstinentiam a carnibus, quoad
castitatis votum dispensetur, pietas ac caritas
suadet: relaxationem residentia major Ecclesia

- (a) Ex diversis, oppositisque oriri principiis hæc
,, taciturnitas potest: ergo ex ea certus dispen-
,, sationis concedendæ colligi consensus nequit.
,, Hæc proficisci taciturnitas potest. 1. Ex Præ-
,, lati negligentia. 2. Ex nimia conniventia
,, 3. Ex pusillanimitate. 4. Ex ignorantia. 5. Ex
,, malitia. 6. Ex studio scandali vitandi, majoris
,, risque mali declinandi. 7. Ex prævisione re-
,, pugnantia subditi ad malum propensi. Quis
,, inficias iverit, ex his, aliisque principiis oriri
,, hanc Prælati taciturnitatem posse? Inepte enim
,, go colligunt probabilistæ ex hac taciturnitate
,, consensum concessæ dispensationis. P. Conde-
na Tom. 6. lib. 1. diff. 6. c. 5. num. 10. Et
post pauca adversariorum fundamentum conte-
tans subdit: ,, Nullius apud me ponderis sunt
,, adversæ sententiæ rationes: quæ omnes hoc
,, recidunt: nempe præsumendum esse, Prælatum
,, tum, dum videt, & non impedit, cum facile
,, possit, velle dispensare, ne ipse peccet non
,, impediendo peccata. Ex iis, quæ diximus, non
,, vanam, arbitrariam, & commentitiam esse
,, hanc præsumptionem constat; quoniam ex
,, septem & amplius capitibus oriri hæc taciturnitas
,, potest.

has: ætatis, vel interstitiorum dispensationem
 nunquam necessitas exigit. Hisque bonis
 quævis mala, quæ ex dispensatione in commu-
 nitatem redundant, sat, superque compensan-
 tur. *Detrahendum est aliquid severitati* (inquit
 sanctus Augustinus *Epist. I.*), *ut majoribus*
malis sanandis caritas sincera subveniat. Et
 Bernardus: *Non sum ita rudis, ut ignorem vos*
dispensatores, sed in ædificationem, non in de-
structionem. Quare superior quemadmodum
 iustam causam allegantibus legis relaxationem
 discrete concedere; ita nullum aut frivolum
 motivum producentibus dispensationem denega-
 re debet. Secus si faciat, ceu infidelis dispen-
 sator gravem rationem domino reddet, pœnas-
 que luet. Hæc quippe dispensandi facilitas
 legum vigorem enervat, deordinationem parit,
 bonoque communi non leve præjudicium infert.
 Quæquam adversa legislatoris officio sint nemo
 non videt.

Utrum dispensatio absque sufficiente causa
 rædum illicita, sed & *invalida* sit; major diffi-
 cultas est. Eam, quam *inferior*, seu delegatus
 absque causa concessit, nullam, ac irritam esse,
 omnes admittunt. Iste enim sub hac expressa,
 aut tacita conditione, ut causam præponderet,
 dispensandi facultatem a superiore accepit: unde
 si hanc non observat; quidquam sibi numquam
 concessum attentat, nihilque agit. Ast ubi de
 superiore, seu supremo legislatore, qui in sua
 vel prædecessoris lege sine causa dispensat, quæ-
 sio movetur; multi, probabilitatis præcipue

patroni, eandem validam pronunciant, hoc fieri unico fundamento nixi, quod legislator sic absque causa legem tollere, suosque subditos lege liberare; ita quoque manente lege unum vel alterum absque causa ab ejus obligatione eximere valide possit: eoquod tota legum obligatio suam a legislatoris voluntate & originem, & finem habeat.

Hæc tamen ratio tanta non est, ut omnem a nobis scrupulum pellat. Quod Princeps legem non condere, & abrogare absque justa causa possit, ultro fatemur; sed quod vigente adhuc lege, quemvis eximere pro arbitrio valeat, sicque exemptus contra legem agendi jus acquirat, asserere non audemus. Quamdiu lex manet, ipse quoque legislator eadem stringitur, utque uniformitas servetur, naturalis lex præcipit: unde sicut lex positiva legi naturali adversum numquam obligat, ita exemptio a lege, naturali legi contraria, pro foro interno numquam deobligat. Hanc ob rationem sanctus Thomas hujusmodi dispensatorem *infidelem* vocat, & sanctus Bernardus in eundem veluti *crudelem* invehit, quod nempe subditos, qui scientes tali dispensatione utuntur, in peccati laqueos ipsemet conjiciat, ac misere jugulet; quæ crudelitas est maxima (a).

(a) Eandem sententiam D. Amort. tenet, Concilium Trid., quod similes dispensationes seu subreptiones declarat, auctoritate nixus (Theol. mor. Tom. 1. Tr. 2. §. 14. q. 12.). P. Billuart cum plur-

Dum causa ab illo, qui dispensari petit, falsa allegatur, vel quid veri, quod dispensationem retardaret &c., subdole reticetur, irrita, & invalida dispensatio evadit; quia dispensanti pro talibus circumstantiis est involuntaria, & quia recta ratio postulat, ut mendax precator, penitus careat impetratis (cap. super litteris. de Rescriptis.). Hinc est, quod in singulis fere dispensationum formulis ista clausula invenitur: Si preces veritate nitantur (a). Quodsi ob-
vel

pluribus contrariam tuetur, contrariasque rationes fere omnes haud inepte solvit (Tract. de legib. dissert. 5. art. 3. §. 2.). Via media P. Antoine incedit, docetque, dispensationem, absque justa causa datam, validam esse, ipsumque dispensatum contra legem humanam, quæ valide relaxata est, non delinquere; in legem tamen naturalem impingere, quæ propter bonum commune uniformitatem præcipit, & ne quis sine justa causa a communi onere se subtrahat, stricte vetat. Unde ipsius opinione inter talem dispensatum, & non dispensatum hoc intercedit discrimen, quod sic dispensatus tantum vi legis naturalis, non positivæ (utpote relaxatæ) obligetur, nec contrahat pœnas, aut censuras lege positiva in transgressores latas; cum econtra non dispensatus nædum legis naturalis, sed etiam humanæ legis vigore ad servandam conformitatem obligetur, pœnisque subiaceat in jure statutis (Theol. moral. Tr. de legib. cap. 6. Q. 4.). Jam verisimilia ipsiusmet eligas.

(a) Duplex præprimis Tribunal ad expediendas dispensationes Romæ est erectum. Unum Pœnitentiarum, alterum Dataria vocari consuevit.

vel subreptio ex ignorantia contigerit, dispensationis executor, juxta quod ipsum legislatorem desuper informatum præsumit acturum, procedere poterit. Denique cum dispensatio non

Sacra *Pœnitentiaria* dispensationes concedit solum pro foro interno circa impedimenta matrimonii *occulta* impedientia, & dirimentia tam ad matrimonium contrahendum, quam in semel contracto manendum, excepto impedimento *consanguinitatis*, super quo numquam dispensat *Pœnitentiaria* ad matrimonium contrahendum, sed solummodo ad manendum in contracto, & quidem in quarto vel tertio gradu, non secundo vel primo. Item dispensat super irregularitatibus ex homicidio, ex defectu natalium &c. provenientes. Concedit etiam novas provisiones beneficiorum simoniace obtentorum. Litteræ supplicatorie ad Cardinalem majorem *Pœnitentiarium* sunt dirigendæ cum hac inscriptione; *Em. ac Reverendissimo D. D. S. R. E. Cardinali, majori Pœnitentiario.* In supplicatione non exprimuntur nomina Oratorum sed *N.* vel *Titius*, aut *Titia*. Rescriptum omnino gratis expeditur, & ad quemdam tertium mittitur, qui secreto sacro in confessionali dispensationem exequi debet, ac dispensationis chartam quamprimum flammis tradere absumendam. *Dataria* dispensat pro foro externo in impedimentis *manifestis*, aliisque ad forum contentiosum jam deductis; item in gradu consanguinitatis secundo & tertio, aut etiam primo mixto cum secundo, tertio, vel quarto. Litteræ supplicatorie ad ipsum summum Pontificem diriguntur cum inscriptione: *Sanctissimo Domino Domino Clementi Papæ XIV. Romam.* Oratorum seu supplicantium intus exprimuntur nomina, cognomina, *Diececesis* &c. Dispensationis

I. *Legis abrogat. derogat. Et cessat. Et c. 331*

gis abolitio, sed ejusdem dumtaxat relaxatio fit, rationabilem ob causam facta; quam primum causa deficit, etiam dispensatio desinit, & ille, cui fuit concessa, cum aliis denuo ad communem legis observantiam obligatur; hoc quippe sanæ rationi convenit, ac clare ex iis, quæ hucusque diximus, sequi videtur.

CAPUT III.

Legis abrogatio, derogatio, Et cessatio exponuntur.

Sicut res humanæ omnes, ita & leges ab hominibus conditæ mutationi sunt obnoxia, cum econtra lex naturalis firma semper ac immobilis ster. Disparitatis rationem Doctor Angelicus adfert, dum ad primum argumentum respondet: *Lex naturalis est participatio quædam legi æternæ; Et ideo immobilis perseverat; quod habet ex immobilitate Et perfectione divinæ ratio-*

Breve a Cardinale Datario ad Vicarium generalem, vel officialem dirigitur, ubi & taxa pecuniaria, a dispensatis solvenda, sæpe non modica exigitur, nisi in forma pauperum petita, & obtemperata dispensatio fuerit. Porro triplici forma peti, & concedi Romæ dispensatio solet; nimirum in forma *nobilium, honestorum, & pauperum*. Pauperes stylo romano illi reputantur, qui in bonis suis quinquaginta aureos non habent, vel qui de labore, aut commercio quotidiano vivunt, propterea etiam *miserabiles* dicti. Varias supplicationum formulas Auctores exhibent, præprimis P. Amort. Theol. mor. Tom. 1. Tr. 2. §. 14. num. 27. Vide.

rationis instituentis naturam. Sed ratio humana mutabilis est, & imperfecta: & ideo ejus lex mutabilis est & imperfecta. Et præterea lex naturalis continet quædam universalia præcepta, quæ semper manent; lex vero posita ab homine continet præcepta quædam particularia secundum diversos casus, qui emergunt (1. 2. 9. 97. art. 1. ad 1.). Triplici autem modo humana legis contingere mutatio potest. Primo per *Abrogationem* cum tota simul lex vel Principis editio vel contraria consuetudine abolitur. 2do. per *Derogationem* cum una dumtaxat vel altera legis pars per legem subsequentem expresse revocatur, aut impossibilis redditur. 3tio. per *simplicem cessationem*, cum nempe ex aliqua superveniente circumstantia lex se ipsa deficit.

Lex humana in tantum recte mutatur juxta sanctum Thomam (1. 2. quæst. 97. art. 2. in corp.), in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Unde pro arbitrio legem abrogare Principi non licet. Quodsi legem absque gravi motivo abroget, valida ejusmodi abrogatio erit, ac subditi liberi a lege evadent, de mala tamen œconomia rationem Princeps aliquando illi reddet, qui *Rex Regum*, & *Dominus Dominantium* suo in femore scriptum habet. Id totum de legislatore ipso vel ejus successore intellige; inferior enim aut nihil, aut tantum præcise, quantum superior indulserit, in legem potest.

Quæ modo de abrogatione diximus, etiam de legum derogatione sunt accipienda. Ut autem

autem legi anteriori, præcipue favorabili, aut privilegio per posteriorem derogetur, generica revocatio *Non obstantibus quibuscumque &c.* non sufficit, sed specialis & expressa legis restringendæ, vel tollendæ mentio est faciendâ. Unde (cap. licet. de Constitut. in 6.) Bonifacius VIII. dicit: *Romanus Pontifex - - quia locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta (cum sint facti, & in facto consistant) potest probabiliter ignorare; ipsis (dum tamen sint rationabilia) per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare.* Et juxta regulam juris (34. in 6.) *Generi per speciem derogatur*, etiamsi genus seu lex generalis post specialem emanet.

Triplici quoque modo simplex legum cessatio contingit. 1. Cum tempus, legis observantia a legislatore præfixum, suum terminum attingit. 2. Cum ex novis circumstantiis finis legis totalis adeo desit, ut communitati non modo non utilis, sed omnino nociva deprehensa legis observantia fuerit. 3. Cum finis, & adæquata legis ratio respectu totius communitatis cessat; lex enim rationalis esse debet, & gravi cuidam causa innixa; unde quamprimum illa causa corruit, ipsam quoque legem ruere necessum est. Quodsi legis finis & ratio respectu unius dumtaxat, aut alterius privati desinat, pristino in vigore lex manet, illosque unacum reliquis obligat; quia lex, sicut propter bonum privatum lata non est, ita nec propter privatum ac leve sæpe

sæpe incommodum cessat. Opinio adverte-
 quam quidam pauci tuentur, laxitati janua
 aperit, ac artificiose legibus illudendi modum
 tradit (a). Porro utrum *totalis* legum finis
 defierit, uti jam semel monuimus, non a ple-
 beis, sed prudentibus, ac timoratis viris seculi
 discitur.

CAPUT IV.

*Consuetudinis legitimæ origo & effectus
 declarantur.*

Dum pleraque alicuius communitatis membra
 libere ac frequenter eadem agunt, consue-
 tudinem, quæ *facti* dicitur, introducunt. Et
 hac diutius continuata alia nascitur, quam con-
 suetudinem *juris* vocant, ac definiunt, quod
*Jus moribus hominum institutum, quod pro
 suscipitur, cum deficit lex.* (Isidor. lib. 5. Etymol.
 mol. c. 3.). Non autem quælibet *facti* con-
 suetudo illam *juris* progignit, alias furta, ad-

(a) Hac quippe admissa opinione omnes fere huma-
 næ leges in nihilum redirent „ Quisque pro
 „ suo affectus commodo & ingenio contenderet
 „ legis finem locum non habere. Quin hæc
 „ gula leges ipsas naturales quisque metiri
 „ deret. Divites omnes contenderent: finem
 „ vetitæ fornicationis eorum respectu non con-
 „ sistere, cum habeant, unde & mulieri & fe-
 „ turæ proli providere abunde possint. Liberos
 „ rum hæreticorum lectionem, accessum ad
 „ monasterium, armorum delationem, pompas
 „ rum usum, & plurima alia quisque sibi licita
 „ fore judicaret „ P. Concina Tom. 6. lib. 1.
 Diff. 6. cap. 1, num. 12.

teria, fraudes, & id genus alia jam impune, ac pleno ex jure fierent. Unde certis quibusdam conditionibus vestita sit oportet. Conditiones legitimæ consuetudinis quas cum sancti Patres; tum Legistæ recensent, sunt 1. ut sit rationabilis, 2. libera, 3. animo se obligandi a populo propagata, 4. debito tempore continuata, 5. Principis consensu firmata.

Rationabilis consuetudo erit, quæ communi bono utilis, nec tamen alicui sive naturali sive divinæ legi adversatur. In his rebus (inquit sanctus Augustinus *Epist. 86.*), de quibus nihil certi statuit scriptura divina, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. Id clarius sanctus Thomas exponens ait: *Lex naturalis & divina procedit a voluntate divina, ut dictum est, unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis; sed solum per auctoritatem divinam mutari posset: & inde est, quod nulla consuetudo vim legis obtinere potest contra legem divinam, vel legem naturalem.* Dicit enim Isidorus (in *Synonymis*): *Usus auctoritati cedat, pravum usum lex & ratio vincat* (1. 2. 97. art. 3. ad 1.). Mos itaque, qui legi divinæ &c. præjudicium adfert, non inter legales consuetudines sed inter abominabiles collocari corruptelas debet.

Libertas actuum altera consuetudinis introducendæ conditio est. Unde quæ libertati, etiam consuetudini obsunt. Actus, quos populus ex gravi metu frequentat, vix umquam legalem consuetudinem fundant. Illi vero, qui ex ignorantia profecti, aut per

per violentiam extorti, legitimæ consuetudinis fundamenta esse numquam possunt. Populus proinde aut saltem major ejusdem pars id, quod agit cognoscere, sicque agendi obligationem intendere debet. Quemadmodum enim legis obligatio a sola Principis voluntate, ita consuetudinis obligatio etiam a populi intentione pender; isti deficiente sicut lex, ita & consuetudo legalis deficiit. Hæc autem obligandi intentione introductam consuetudinem fuisse certis quibusdam et signis colligitur. Quod omnes, etiam prudentes, studiose observant; quod plebei non minus quam Præsides urgent, eosque, qui istud negligunt, male notant; consuetudini obligatio innixum crede, utque scandalum evites, te conformare cæteris stude (a).

In terris, quibus Princeps dominatur, quæcumque consuetudo vacillat, donec Principis consensu firmetur. Duplicem ejusmodi consensum Legistæ distinguunt. Primum *personalem* dicunt; cum nempe Princeps consuetudinem advertens eam vel expresse vel tacite approbat, non obstante, quod eam supprimendi & occasio-

(a) Regula universalis ac certa, prout P. Concina observat, hac de re statui nequit. Actus enim quibus consuetudo invehitur, indifferentes cum sint, & liberi, non nisi ex personarum, temporum, materię diversitate, aliisque circumstantiis definitur hæc obligatio potest. Genius quoque societatis spectandus est. Nam si societas communiter res fugiat obligationem inducere sub culpa; regula hinc erui potest, pro consuetudine interpretanda quod sub culpa non obliget.

nam & vires habeat. Alterum *legalem* vocant, eoquod jura, & leges, quæ in terra vigent, quasque ipse Princeps approbavit, consuetudinem rationabilem ac certo tempore observatam, approbent, legisque ad fastigium evehant; licet eam forsan Princeps immediate non approbet, aut omnino ignoret.

Ut consuetudo consensu Principis *legali*, ac titulo præscriptionis vim legis obtineat, aut legem præexistentem abroget, per tempus longum, decem videlicet annos continuari publice debet, & nullo contrario actu interrumpi. Ut vero Principis consensu *personali*, atque conniventia interveniatur legis vices suppleat, certus temporis tractus non requiritur; sed quamprimum de populi intentione, ac Principis consensu constat, illius currere obligatio, aut deobligatio incipit.

Facti proin consuetudo genuinis insignita characteribus effectum sortiri triplicem potest. Quandoque legem novam *fundat*, quandoque priorem legem *abrogat*, quandoque obscuram *interpretatur*. Ut consuetudo quamdam legem inducat omnibus conditionibus antea recensitis prædita sit oportet. Ut vero legem abrogat, aut interpretetur, una abesse potest. Non enim qui contra legem agunt, obligationem inducere, sed potius tollere intendunt. Et licet primi legis violatores peccent, temporis tamen progressu, quo eadem agendi ratio communis est facta, ac Principis consensu fulcita, finem prævaricationis

tio accepit, hocque modo agendi jus subintro-
vit. Pro coronide Angelicum adhuc Doctores
audire juvat, qui perpulchre in rem nostram
ita differit: *Possibile est quandoque præter legem
agere in casu scilicet, in quo deficit lex; Et tamen
actus non erit malus. Et cum tales casus
multiplicantur propter aliquam mutationem homo-
num, tunc manifestatur per consuetudinem, quæ
lex ulterius non est utilis; sicut etiam manifesta-
retur, si lex contraria verbo promulgaretur. Sed
autem adhuc manet ratio eadem, propter quam
lex prima utilis erat, non consuetudo legem, sed
lex consuetudinem vincit; nisi forte propter hoc
solum inutilis lex videatur, quoniam non est
possibilis secundum consuetudinem patriæ, quæ est
una de conditionibus legis. Difficile enim est con-
suetudinem multitudinis remove. (1. 2. quæstio
97. a. 3. ad 3.).* Verba sancti Doctoris adeo
perspicua sunt, ut eis quidquam superaddere
supervacaneum foret. Porro sicut lex contra
consuetudinem enervatur, ita vicissim consuetu-
dinem nova sæpe contraria lege, aut consuetu-
dine abrogari ratio suadet, & experientia do-
cet (a).

(a) Privilegii explanatio hic omiſſa; quia fortis
potius externum, quam internum concernit, et
obvios apud Canonistas invenitur. Est autem
Privilegium specialis facultas aliquid contra, vel
præter legem agendi, a Principe concessa cum
adnexa prohibitione, ne quis illius usum impe-
diat. *Reale officio, muneri, vel statui adhaerentibus*

eique privata renunciatio non nocet: *personale* privatæ cuidam personæ est concessum, hujusque morte vel renunciacione perit. Illud, quod a communibus oneribus eximit, contra legem datum, & *odiosum* est, ac proin stricte interpretandum; quod vero simplicem ac novam quidquam agendi &c. potestatem alicui tribuit, *favorabile* est, atplæque interpretationis capax. Tam hoc, quam illud vel diuturno non usu, vel nimio abusu, vel expressa revocatione amittitur.

